

A-31-246

VOL. 3. NOV. 1725

# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI PAPÆ XI. PONTIFICI MAXIMO EPISCOPUS VALLIS-OLETANUS.

## SANCTISSIME PATER.

**F**ERAT Ter-Maxima BEATITUDINIS VESTRÆ celsitudo , quod vel à natura ita comparatum est , ut in acutissimo capitis dolore membra quæque adhuc infima condoleant , & intimi sui sensus indicia non simulent , eà necessitudinis legge , quæ ima summis consociat , ubi agun-

A

agun-

Iac. 3. 21.

Psal. 132. 2.

Job 4. 2.

aguntur omnia intus uno , codemque spiritu vitae. Incomparabiliter altius oportet , ut resonet istiusmodi harmonia in Ecclesiæ Dei Hierarchia; dumque volatiles superbiæ , & verè animales spiritus ( qualis sapientia sua est terrena , animalis , diabolica ) Ianseniani Schismatis imminere audent Capiti Summo , quì membra ingenua jaceant sine sensu vel minima ? illa signanter , in quæ sacram unguentum Apostolica largitate descendit usque ad oram vestimenti eius , ipsum quod eminet in capite figurati nostri Aaron.

Ad tale tantumque facinus continet , quod amicis Job , ut per dies & noctes eiulantes taciti fuerimus , ac ve- luti elingues præ doloris vehementia , imo post annos non dum ferè posito stupore ; quo usque receptis postremo viribus , verba dare licuit , nec licuit cohibere , cum illis quoque Sapientibus audendo ad vestram dementiam dicere , SANCTISSIME CLEMENS : Si cæperimus loqui tibi , forsitan molestè accipies , sed conceptum sermonem tenere quis poterit ?

Ad

Ad nos signantissime quod attinet,  
 Hieronymi Parentis mei phrasī ut non  
 abutar , si cuncta corporis mei membra  
 verterentur in linguis , & omnes artus  
 humana voce resonarent, nihil dignum  
 dicerem rei præsentis magnitudine.  
 Quod ipsum elegantiori adhuc via ex  
 hypothesi in thesim perducturi, non so-  
 lis trium ut quondam illorum Sapient-  
 um linguis , sed omnibus numeris ple-  
 no Sapientum circulo, soluto in linguis  
 disertissimas , una omnium voce reso-  
 nabimus. Scilicet non immemores nos  
 esse constitutos Sedis Apostolicæ mune-  
 re Universitatis nostræ Vallis-Oletanæ  
 Cancellarium ; contuentes alias intra &  
 extra nostram Hispaniam Universitates  
 sui zeli , sapientiæque signa præsentissi-  
 ma dedisse; dolendo quod in una vel al-  
 tera exterarum obscuratum sit præclari  
 sui nominis aurum , mutatusque color  
 optimus; contreftando nostram vix ulli  
 cedere conscam de cætero , indubitan-  
 tè nulli omnium cessisse unquam in ze-  
 lo demonstrandi se totam quantam ve-  
 rè Pontificiam: proptèr hęc & venimus,

S. Hierony. epist.  
 ad Eustoch. in epi-  
 taph. Paulę init.

4 & vidimus , &c procul ab omni specie pugnandi , vel repugnandi vicimus , ut meliori dicendi filo certiorem faciet: BEATITUDINEM VESTRAM ipsa Universitas.

Clemens VI. &  
VII. & Innocent.  
VIII. in Constitu-  
tionibus ad Uni-  
vers. Vallis Oleta-  
nam.

Alexand. VII.  
Constit. Ad Sanc-  
tam anno 1656.

Iac. i. 8.

Hæc illa Universitas , in cuius circuli medio , velut anulo gemma insignito , literariam Sapientiæ Margaritam Prædecessores BEATITUDINIS VESTRÆ non semel & saepius contemplabantur ; quem nos proinde Sapientiæ Anulum , simùl cum Anulo desponsatio ex dono Sanctæ Sedis suscepto , ad VESTRÆ BEATITUDINIS utrumque pedem consecramus. Hæc illa , quæ cum Iansenij Hæresim coram in suo Capite , non dum evoluto è corpore , tantum non attriverit ; post quam serpente vidit eam Hæresim , & quò magis oppressam , videt ad instar colubri tortuosi in varios gyros , & cavillationum deflexus euntem , nequit non appetere ipsam , exertis totis viribus in ruinam , & internctionem. Illa est , quæ iam extunc bene prævidit , quod Vir ille duplex animo inconstans futurus esset in

om-

omnibus vijs suis; prævidit animo dupli-  
cem tribus supra decem annis , ante  
quam ea latens animi duplicitas eluce-  
ret in facie Operis titulo Augustini  
ementiti , re Irenensis Iansenij ; prævidit  
inconstantiam, qua omnia susquedequè  
vertere machinabatur, errores vendita-  
re tanquam dogmata, opiniones tradu-  
cere ut errores, in florentissimas doctrina-  
næ sanæ Scholas spargere dissidia insa-  
na ; nempe oviculas cùm videret sub  
uno Pastore velleris colore varias , con-  
tegere se suosque Novatores aliarum  
pelle , ut luporum rabie impunius sæ-  
virent in alias.

Iam verò ex munere Sacro nostro,  
quo quanquam longe supra merita fu-  
mus in Episcopali ordine collocati, con-  
ticescere in persona etiam propria diu-  
tius non decebat ; quando in præsenti  
rerum Ecclesiæ discrimine opprobria  
exprobriantium tibi , SANCTISSIME  
PATER PATRVM, ceciderunt pariter  
super nos. Edita quippè à SANCTITA-  
TE VESTRA Sanctissima Constitutio-  
ne *Unigenitus*, non modo rebellare au-

sisunt adversus Dominum , & adversus Christum eius Novatores illi Ianseniani ; sed etiam adversus Ecclesiam Hispanam , iure quasi antonomastico Romano-Catholicam , portenta effutiunt : ut inter alia , quod nos Hispani acceptaverimus inscij p̄famat Constitutionem , v̄l etiam exoculati , utpotè habentes pro infallibili , & irreformabili Pontificem Summum , loquentem ex Cathedra . Quis pacatè ferat id generis calumniam , omni diro pugione cruentiorem ?

*¶ Petri 3. 15.*

Edocti saluberrimè à Petro , Principe Pontificum Successorum , Dominum Christum sanctificamus in cordibus nostris , sed parati sempèr ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea , quæ in nobis est , Fide . Scientes , prudentesque novimus ( de quo & rationem reddere parati sumus ) , omnes & singulas unius supra centum Propositiones , medullam Iansenismi , & Rigorismi continere , quanquam pietatis fuso speciosè conditam , Fidei tamen , & moribus insigniter exitiosam . Et quanvis ad ita nobis , alijsque persuadendum , esse-

essimus soli peregrini & hospites in Orbe literario , qui adeo redundat hodie mercibus eruditionis ; hæc nobis una, quod non erubescimus in propatulo facili , peremptoria ratio supereret , Successorem Petri dixisse. Si non infallibilis ille, quisnam erit ? Si reformabilis ipse, à quo reformatum ? Fuerint vel ipsi Apostoli duodeni , qui fuere : *Tamen* , ut Doctorum Maximus aiebat egtegie, propterea inter duodecim unus eligitur , ut Capite constituto , schismatis tollatur occasio.

Aiunt , pro infallibilitate conciliana Decretis Pontificijs , adhuc declaratorijs , aut definitivis ex Cathedra in materia Fidei , & morum , desiderari Ecclesiæ acceptationem. Quod est miscere tecta clementis : quippe cum sciamus Ecclesiam esse profecto Columnam , & firmamentum veritatis ; sed nisi Columna ut in basi firmetur in petra Petri successiva , non basis in Columna , ruina erit ; evadetque domus , non prævalitura semper , ut potè in petra solida , sed ruitura quovis impetu , veluti

S. Hierony. lib.  
1. adver. Iovinia;  
in med.

cæmentum agens in arena. Præterquam à Patre Familias huius Domus, ex suo ipsoruin ore iudicabūtur servi nequam. Quæ Constitutionis *UNIGENITUS* ab universalī Ecclesia Dei splendidior acceptatio? Totus Mundus Catholicus, vetus & novus, quā Oriens, quā Occidens, quā Meridies, quā Boreas, religiosissime acceptavit, & exosculatur; Mundus totus, inquam, florentissimo quoque Regno Christianissimo nequam excepto longe maiore sui ex parte, ordinemque ducentibus plusquam centeno numero Prælatis, qui pro Patribus Ecclesiæ nati sunt non degeneres Filij. Quæ ratio habenda de paucissimo respective numero nothorum, quorum sermo serpit ut cancer? Frendentes ipso dicere compelluntur ad semetipos de Vicario Christi, quod de Christo quondam non prorsùs absimiles alij: *Videtis, quia nihil proficimus?* Ecce Mundus totus post eum abiit.

Clamat, appellate se à Pontifice Summo regnante ad futurum Generale Concilium. Et est perinde ac nolle bal-

*2. Tim. 2. 17.*

*Ioan. 12. 19.*

lantes oves regi à Pastore suo, sed Pasto-  
 rem regi à suis ovibus, grunnientibus ip-  
 sis, & præcurrentibus hinc inde anima-  
 lium genio verè immundorum. Est viam  
 illam arripere inviam, per quam in ba-  
 rathirum Hæresis devenere sempèr, ini-  
 tio facti Schismatici. Ab exordio Ecclesiæ  
 per omnia retro fœcula, sempèr Conci-  
 lia ipsa suscepere, ut se ipsis irreformabili-  
 lia Sacræ Romanæ Sedis oracula; si fœcu-  
 lis ferè postremis in Constantiensi, Basile-  
 ensique Concilijs, schismatica ex parte  
 concusione nutantibus, nonnihil tenta-  
 tum est forte in contrarium, illicò à fir-  
 missimis Lateranensi, & Florentino Con-  
 cilijs indelebiliter abrogatum. Quod si  
 Tridentina Sacrosancta Synodus postre-  
 mó abstinuit à definienda novitè ex-  
 pressè veritate opposita illi recursui tem-  
 erario, commiserationis benignæ fuit,  
 potius quam non recognitæ de proximo  
 definibilitatis. Novimus hoc ex monu-  
 mentis Romanæ Arcis, quantum fas est,  
 in medio positis; novimus longè maiori  
 ex parte propensam esse tantam Syno-  
 dum in huiusmodi definitionem; novi-  
 mus

Card. Sforzia Pal-  
 lavicinus in Hist.  
 Conc. Trident.  
 lib. 20. c. 9. n. 11.  
 & lib. 21. c. 13.  
 n. 4.

mus Hispanos Præsules in te hac uniformes , magni præponderantis momenti habitos , ut potè alienos à præiudicio & factione. Ecce sumus, quales tunc eramus. Futura Synodus hos habebit Patres, ex suis Sedibus collectos, hos Theologos , & Canonum peritos , collectos ex suis Vniversitatibus ; non aliud facie ad faciem dicturi essent, quam quod absentes multo corpore , unà Fide præsentissimi acclamant. Nos saltèm , viso Petri gladio iam stricto , condemnationis gladio non iterum mittendo in vaginam , ad Vicarium Christi convertimur proni , promptique requirendo : *Domi-ne, si percutimus in gladio?*

PATER SANCTISSIME , ut quælia in serie verba desumpsimus , talia in extreñum ex Parente Optimo verba resumamus ; liceat alloqui ad BEATITV-DINEM VESTRAM , modo quo ad Prædecessorem ( in quo ut Capite , quæ modo in membris , Hispana Fides cluxit ) , nempè Hieronymus ad Damasum in simili rerum discrimine alloquebatur. Similiter modò sunt , qui indiscissam

*Lucx 22. 49.*

NETTIPRÆSULES  
HABENT  
ALIENOS  
A PRÆIUDICIO  
& FACTIONE.  
FUTURA  
SYNODUS  
HOS HABEBIT  
PATERES,  
EX SUIS  
SEDIbus  
COLLECTOS,  
HOS THEOLOGOS  
& CANONUM  
PERITOS,  
COLLECTOS  
EX SUIS  
UNIVERSITATIBUS;  
NON ALIUD  
FACIE  
AD FACIEM  
DICTURI  
ESSENT,  
QUAM QUOD  
ABSENtes  
MULTO  
CORPORE,  
UNÀ  
FIDE  
PRÆSEN-TISSIMI  
ACCLAMANT.  
NOS  
SALTÈM,  
VISO  
PETRI  
GLADIO  
IAM  
STRICTO,  
CONDEMNATIONIS  
GLADIO  
NON  
ITERUM  
MITTENDO  
IN VAGINA  
M, AD  
VICARIUM  
CHRISTI  
CONVERTIMUR  
PRONI,  
PROMPTIQUE  
REQUIREND0:  
*Domi-ne, si percutimus in gladio?*

S.Hierony.epis.  
ad Damasum,  
Quoniam.

Do-

Domini tunicam, & desuper textam,  
 minutatim per frusta discerpunt, &  
 Christi vineam exterminant vulpes; si-  
 militèr tanta vastitas elementi liquentis,  
 & interiacens longitudo terrarum non  
 potuit nos à pretiosæ margaritæ inqui-  
 sitione prohibere. Ideo mihi Cathedram  
*Petri*. Et Fidem Apostolico ore lauda-  
 tam censui consulendam.... Quanquam  
 igitur tui me terreat magnitudo, invi-  
 tat tamen humanitas. A Sacerdote victi-  
 mamm salutis, à Pastore præsidium ovis  
 flagito. Facebat invidia, Romani cul-  
 minis recedat ambitio, cum Successore  
 Piscatoris, Et Discipulo Crucis loquor.  
*Ego nullum primum nisi Christum se-  
 quens, BEATITUDINI TUÆ, id  
 est, Cathedrae Petri, communione conso-  
 cior: super illam Petram ædificatam Ec-  
 clesiam scio.* Quicunque extra hanc  
*Domum Agnum comedenter, prophanus*  
*est.*

Supereft nobis, ardenter instare vo-  
 tis, orationibus, Sacrificijs, ut iniuncta-  
 tatis Filij, qui erravere, sicut ovis quæ  
 perijt, reduceantiant, & sine ullius errore

miserando fiat unum ovile sub uno  
tanto Pastore, cuius uti clementissimam  
benedictionem nobis, & oculis gregis  
curæ nostræ commissis, fidenter opta-  
mus, sic & quod CLEMENTEM  
NOSTRUM Pontificem Summo Ec-  
clesiæ suæ bono Deus nobis magis,  
magisque diutinum largiatur. Vallis-Oleti

27. Maij anno 1718.

SANCTISSIME PATER.

AD BEATITUDINIS VESTRAE

Adoratos Pedes obsequentissimus, &  
addictissimus Filius.

Fr. Iosephus, Episcopus  
Vallis-Oletanus.



